

in dñm tuū ex toto corde tuo.
iā tua: rex om̄ibz iuribz tur
re tua: i proximū tuum
Dixit q̄ illi. Recte respōdit
fac iuuēs. Ille aū uolēs iusti
eu in: dix̄ ad ih̄m. Et quis est
nus: Suspiciens aut̄ ih̄c
Deo quidam descendebat ab
in ihericho: i incidit in latro
qui etiam despoliauer̄ eum: et
impositis abierunt semiuuio
dixit aut̄ ut sacerdos quidā
eādem uia: i uiso illo p̄teri
Sumit̄ i leuita cum eēt secus
i uider̄ eum. p̄transit. Sama
anus aū quidā iter faciens uenit
eum i uident̄ eum m̄a motus ē.

Ma 397

St. Graec. in Oct. N. 103.

II 2a 168

A
SATYRÆ PRIMÆ
HORATIANÆ

Quæ est de

Vitijs hominum usita-
tissimis

μεμψιμοιρίας καὶ πλεονεξίας

PARAPHRASIS ORA-
toria insertis singulis Poe-
tae verbis

MARTINI BRASCHII.

Vtilis & iucunda lectu.



ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.

Anno M. D. II C.



LECTORI S.

Non ignarus eram, esse ut in Horatio passim,
ita in hac ipsa Satyrâ locos quosdã, de quorũ
interpretatione doctissimi viri inter se dissentiunt.
Ego secutus sum, quæ mihi probabilior videbatur.
fortasse alij alia arrideat. sunt enim sæpe vicinae:
neq; peccatur, utram sumas. hoc te scire volui
tantum. Exempla enim peritis obuia sunt.




*Quà ingenium, quà doctrinam, quã
mores Ornatissimis iuuenibus*

Dn. PETRO HAVNOL-
DO Vratislaniensi

Dn. CHRISTOPHORO
HEROLD O Hallensi.

S. P.

 N vobis, patritij iuuenes, Para-
phrasin Satyræ primæ Horatia-
næ, Specimen reliquarum, si
quis in eo genere laborare ve-
lit. Ego, cum animi oblectan-
di causa, & id iam ante triennium, subitã o-
perã hanc sic conuertissem: sensi utilissi-
mum esse lecturis Satyricos Poetas hoc in-
terpretationis genus, quòd illi alioquin
sunt admodum abstrusi & reconditæ doctri-
næ. Nam & sententiam Poetæ penitus e-
ruit, & vno quasi obtutu ob oculos propo-
nit: & ambitu atque amplificatione orato-
riã aculeos firmius animis inprimit: cū inte-
rim de suo Poeta nihil amittat, sed vnã cum
utili & magnã vsurã sortem verborũ suorum
seruet integram. Substiti verò in ipso vesti-
bulo: & satis habui exercitationis huius gu-
stum sumere: non equidem satietate vllã
A 2 affe-

affectus: quæ quomodo suboriat in Poetæ tam urbani, tam docti, tam morati tractatione, quo quidem, ut quis maximè liberaliter excultus est, ita afficitur & tenetur maximè. Sed manum iuli de tabulâ, quod noluerim mihi sumere eas partes, quas videbam pertinere ad collegam meum doctissimum, Eilardum Lubinum, Poematum interpretem, eiusq; artis Professore ordinariæ, qui quidem & Persij Satyras feliciter hac ratione interpretatus erat antè, & nunc simili dexteritate Horatium pedestri sermone loquentem nobis inducit.

Cum vero nihilominus hoc commentationunculæ nostræ intermissæ quasi δέγμα, quod quidem hætenus in aduersarijs delituerat, nunc mihi visum esset dare in lucem, (cui editioni si non gratiam, saltem veniam deberi existimo) volui id publicum fieri vestri nominis inscriptione potissimum: partim pro familiaritate nostrâ, quam cum utroq; vestrū dulcissimus mihi conuictus ante annum peperit: partim pro ingenio, studijs, moribus vestris: quæ quidem talia in vobis sunt singula, ut bonus aliquis (verè dicam, & ut Græci olim in iurandi formulâ, ἀντιδότης) ea citius laude quàm reprehensione, amore quàm odio, honore quàm contemtu digna censeat. Neque etiam succensebitis mihi credo


credo, si hanc publicam, de virtute & diligētia vestra testificationem, simul cuasi aduersariam quandam constituam vobis, quā commonefacti in cursu suscepto acriter progrediamini: ita ut non solum meo de vobis iudicio, sed & cognatorum & affinium vestrorum, quos quidem ambo in præclaris familijs & urbibus nati, tu quidem HAV-
nolde, patrum Medicinæ Doctorem: fratrem vero Senatorem in Silesiæ ocello Vra-
tislaviâ: tu autem Herolde Halæ Saxo-
num, præter cognatos, trium sororum ma-
ritos, vnum Senatorem, alterum I. C. ter-
tium Medicum, viros ingenij, doctrinæ, au-
toritatis & prudentiæ famâ haberis præstan-
tes & clarissimos, expectationi respondeas:
ijsq; ipsis paulò post, annuente Deo stu-
diorum vestrorum rectore & arbitro, digni-
tate pares, patriæ verò vestræ vsui & orna-
mento sitis singulari. Atque hîc adhorta-
rer vos, quo rectius hoc assequamini, vt cum
pulcherrima iuris ciuilibus disciplina, in qua
percipienda iam gnauiter versamini, sedu-
lam Historiarum lectionem, quarum cog-
nitio cum in omni vita, tum maximè in ciuili
illustre affert ornamentum, coniungatis: O-
ratores quoque, quorum neruis Iureconsul-
ti hastas suas vibrant, & Poetas (sed in his
Horatium nostrum inprimis, quoniam ex
A 3 eo mul-

eo multa civilia & moralia præcepta petun-
tur,) non negligatis. Verùm video atque
animaduerto, consilio meo & adhortatio-
ne minimè vobis opus esse, tum quod ipsi
ea sponte facitis, quæ ad finem studiorum
vestrorum feliciter consequendum perti-
nent: tum quod complures iam annos in
Academijs Vitebergensi & hac Roseâ vterq̃;
tu vero Haunolde, domi etiam à puero pe-
né, familiarem & studiorum moderatorem
habetis, virum dexterrimi ingenii & lin-
guæ, Iohannem Emericum, Medicis &
Philosophicis studiis egregiè excultum:
cuius & familiaritatem ac contubernium
amatis, & consilia atque exempla sequi-
mini meritò. Tantùm rogo, vt hoc quale-
cunq̃; amicitiae nostræ & benevolentiae *μνη-
μόσυρον* boni consulatis: neque id ex mole,
quæ quidem perexigua est, sed partim ex
auctoris Horatij præstantia, partim ex argu-
mento quod complectitur non iniucundo,
neq; iniucunda eius tractatione: multo vero
magis ex animo nostro erga vos beneuolo
æstimetis. Bene valete. Rostochij ex Musæo
nostro 26. Aprilis Anni 1598.

MARTINVS BRASCHIVS Profes-
sor Acad. Rostoch.

PARA.


PARAPHRASIS SATY-
RÆ I. HORATIANÆ.

 Vt sit Meccenas, quid causæ est,
quæ innata & insita hominum a-
nimis tanta leuitas & tam incre-
dibilis inconstantia, ut nemo pro-
pemodum, imo nemo planè mortu-
lium possit inueniri, quocunq; & in quocunq; or-
dinem aut statum hominum oculos conijcias, sive
felicium & purpuratorum illorum, quorum men-
se & toti perpetuis delicijs & voluptatum illecebris
assluunt, superfluunt, circumfluunt, siue medio-
crium & opificio ac arte aliqua vitam tolerantium,
qui animi sui cupiditates intra rationis cancellos
cogat & coerceat, ut tranquillè & pacatè in con-
ditione sua acquiescat, & viuat contentus & cum
lubentiâ amplectatur illam sortem quam nactus
est, suamq; spartam sine inuidiâ & appetitione al-
terius exornare studeat? Id adeo faciunt omnes sine
discrimine, ut nihil intersit, seu fors aliqua &
fortuitus ac insperatus casus vitæ illud genus, in quo
agunt, illis obiecerit, veluti illi Alynomo, quem
pauperem & obscurum & areolas olerum suffusis
aquis irrigantem, ex hortulano ignoto & famelico,
Alexander Macedo regem Paphi fecit: seu etiam
ingressi eam viuendi viam sint, in quam naturæ
manibus

manibus diuinitus inducebantur, atq; ita ratio
multum secum diuq; meditata & in omnes tum suas
tum corporis affectiones, inclinationes & vires ac-
curatè inquirens, ex harum astimatione & anxio
ac prudenti quodam æquilibrio de vitæ genere eli-
gendo deliberarit & constituerit, idq; sibi dederit
& attribuerit ipsa, ad quod facta & comparata à
naturâ & ab eâ instrumenta & vim accepisse vi-
deatur, quomodo Herculem illum Xenophontem
certa ratione & deliberatione laboriosum illud cur-
riculum virtutis ingressum videmus. Quid quod
maxima eorum pars ita affecta, occæcata & de-
mentata sit, ut non solum suæ fortune vel sorte ob-
late vel consilio electæ eam celerrimè pœniteat,
verum etiam, quod à desultoriâ illâ leuitate abesse
nō potest, oculos emissitios aliò & in alienas domos
& officia detorqueat, laudet & beatissimos prædi-
cet diuersa studia & instituta vitæ sequentes &
excolentes, & tantum non abiecta sua fortuna, ve-
lut armorum aut vestimenti genere, ad aliud genus
pleno gradu contendat? Ferendum hoc esset, si ista
cupiditas abiectis solummodo & contemptis rebus
esset coniuncta, neq; mendicus & Irus aliquis me-
rito obiurgetur, id cupiens & agens, ut scipione &
pannis abiectis, segne & famelicum ocium cum ho-
nesto & frugifero labore permutet. Iam ve-
ro videris, qui honesto loco sunt, aut arti alicui à
pueris assueuerunt, aut naturâ ad eam solam apti
sunt; tamen de suo illo bono conqueri & in eo tur-
piter

pititer nauseare: ad aliud vero, quod oculos illorum
praestringit, anhelare stomachante & ingemiscente
spiritu. Miles aliquis (quid enim obstat o Me-
cenas, quo minus in forum & vitæ scenam conceda-
mus & rerum exempla ad querelam nostram in-
stissimam offeramus) qui in armis & acie & ur-
bium expugnationibus consenuit, iam annis & se-
nectæ incommodis grauis & oneratus, & insuper
diuturno illo & graui ac multo militiæ & castro-
rum labore fractus & exhaustus, cum membra
fessa & languentia forte aspexit, & ad superiorum
annorum & bellorum memoriam ingemiscens men-
tem retulit, tum vero in cordis subitum & repen-
tinum dolorem & vitæ antea pœnitentiam so-
lutus, o fortunati, ait, o felices, o præ meâ con-
ditione beatissimi mercatores, quorum iuuentam
non diurnæ stationes, non excubiæ nocturnæ, non
galeæ & thoracis trilicis onera, non expugnata &
diruta ciuitates, non tolerata fames & sitis frege-
runt: quorum vita neq; strictis gladijs neq; canden-
tibus scloporum glandibus fuit exposita! quorum
facies & membra nullis vulnerum cicatricibus in-
horruerunt! Quid contra mercator? Ille verò,
si quando conscensa & solutâ naue in altum pro-
uectus aduersum experitur Neptunum, fluctuante
pelago & austris nauem in utrumq; latus impel-
lentibus & iactantibus quasi iam animum de-
spondens & inter spem metumq; de vitâ despera-
bundus, oculos in terram, si quâ ea appareat & sic-

cas litorum stationes reijcit, & clauum atq; ru-
dentes inuitis manibus obiens, utinam, flens penè
exclamat, pro hoc scalmò ensem mihi tenere liceret
inter rutilantes militum acies & lituorum ad pu-
gnam animos accendentium cantus. utinam, inquit,
longe enim potior, longè præstantior & honestior
esset mihi & omnino est militia tædiosâ hac &
meticulosâ nauigatione, ubi mihi toties expalle-
scendum est, incerto & trepidanti, quid insurgens
Nereus minetur, & quorsum tanti ventorum &
fluctuum impetus & intolerabiles ac continuæ tem-
pestatum iactationes euadant. Ecquid enim non
longè melior est militis conditio? Neq; enim illum
tot dierum noctiumq; mora & anxius metus exercet
& in ancipiti ac infido mari tam miserum & solli-
citurum habet, atq; nos miseros & infelices nautas;
sed simul ac signifer vexillum extulit & tibicen
ad prælium cecinit, collatis signis confestim fit im-
petus, concurritur, res geritur breui tempore, &
quencunq; tandem fortuna exitum statuit aut de-
putat, secunda quidem citò coronat, a luersa verò
citò extinguit, imò horæ momento, vel si quid
horulæ momento minus est, illi aut cita & diurtur-
næ carnificinæ & doloris expers, qua nulla optatior
& leuior esse potest, mors venit & quasi non sen-
tientem obruit, aut, si Diij voluerint, læta victoria
& trophæa & triumpho & hostium exuuiæ ex im-
prouiso exhilarant. Hæc quidem mercator &
miles. Quid verò, ô Mecænas, quantam existimas
esse

esse in urbanâ & rusticâ, doctorum & plebeiiorum
vita & quam solidam æmulationem? Etenim si
quisquam in urbe vivit, atq; ille etiam honoratior
& opulentior reliquis, eò quod iuris & legum
peritus civibus suis consulat & facile locum &
rem suam tueatur, ut verus ille Scauola aut Ci-
cero nosset: illi, si quicquam molestiæ ad animum
accidat, quod aut causa non ita ceciderit, ut ipse
volebat, aut tantum à cliente non lucrifecerit,
quantum concupiuerat, aut, quod longè leuius est,
sic ubi fortè consultor (cliens) de iudicio sibi me-
tuens & opem eius imploraturus, paulò maturius
sub galli nocturnum cantum dormienti superue-
niens ostia & ianuam pulsat & illum è matu-
tino somno liberius excitat: tum vero hic stoma-
chans secum & somni reliquias vix absterfis superci-
lijs expellens, præ suis diuitijs & civili splendore
agricolam laudat & agricolæ conditionem, ut-
pote, cui in multam lucem liceat stertere, turbatoris
& interpellationis omnis securus. At agricola ille,
qui cum civibus res suas & agrorum prouentus
commutat, sicubi æris alieni aliquid confluauerit,
aut aliam ob causam rure in urbem extractus
est, & in iudicium vocatus datis vadibus ad
tribunal & iudicis sententiam dicto die se compa-
riturum compromiserit: illico pertæsus aridi ruris &
vitæ rusticæ, solos clamat & prædicat felices &
opratissimam vitam viuentes in urbe, mercature,
artificiorum, deliciarum omnisq; politioris vitæ sede
& do.

& domicilio; optimèq; secum actum iri sperat, si ex
colono cras fiat ciuis. Qui cætera sexcenta tibi
Mecenas, huius fastidij exempla, & de genere
hoc hominum suæ conditionis & fortunæ pertæso in-
geram? quæ, credo, tu ipse non ignoras, quæq; adeo
multa sunt, ut Fabium illū clamosum, garrulum
& loquacē causidicum delassare & ad raucedinem
vel silentium etiam, si omnia conetur enumerare,
dare valeant. Quin ne longo sermone te & occupa-
tiones tuas morer & obruā, ad pauca adhuc te mihi
largire, & audi aut vide adeo, in quā manifesta
luce hanc mortalium leuitatem positurus sim, &
quo rem deducturus, (deducam.) Iam enim
libet hoc ita mihi fingere. Si subito ad illorum, de
quibus modò dixi, querelas & vota contraria, Deus
aliquis existat, Iuppiter puta, cui omnes homines
supplicant, atq; ille tanquā arbiter & rector quidam
qui omnibus præest & imperat, cui omnia parent,
quiq; potest omnia, votis horum stultorum non-
nihil largiturus in medium procedat & dicat, en
ego, ô mortales, cognitâ vestrâ voluntate, quod
possum facillime, iam faciam & morem vobis ge-
ram in eo, quod vultis & tantopere concupisci-
tis. Itaq; tu, qui modo miles eras, gladium &
hastam vibrabas, hostibus atroci vultu minitabaris,
quia te militiæ & belli rædium cepit, eris merca-
tor & trabe Cypriâ trans cærulea freta cures. Tu
vero, iuris consulte, cui rus modò placebat &
statutini somni, age rusticus fies & pro calamo iam
stiuam

stiuam tenebis, beatus vitæ tranquillitate & agro-
rum ac frugum, quam optas, fertilitate. hoc igitur
agite, aliam personam, alios mores, aliam vitam
nunc quisq; induite. Vos hinc rus discedite, quò
voluistis, vos hinc in militiam concedite, quam
prætulistis, mutatis officij & vitæ partibus, festi-
nate, inquam ego Iupiter, & voto vestro confestimo
ipsi persruimini. Eia delicatuli, quid statis? quid
circumspicitis? quid tergiuersamini? Respice, te quæ-
so, iam huc Mecenas & quid illi agant, vide. ad-
sunt né & amplectuntur conditionem? imo vero,
ultrò nolint, atq; etiam repugnant iam & aduer-
santur. Atqui opinione illâ sua, quam ante con-
ceperant, facta permutatione, liceret, atq; adeo li-
cet, hoc ipso temporis articulo, sine mora & impe-
dimento esse & fieri beatis. O intolerabilem
mortalium leuitatem! Quid est Dijs illudere &
eorum lenitate abuti, si hoc non est? Quid causæ
est, aut qui effugere tandem isti procaces & ambi-
tiosi possint, quin Iupiter iratus & excandescens
iusto dolore, illis saturis & vitæ suæ modum & ra-
tionem neq; tenere neq; mutare scientibus ambas
buccas inflet & contraria ac stolidâ vota compe-
scat? neque posthac se tam facilem fore di-
cat, vt votis illorum aurem præbeat & illis
denuò vitæ & conditionis permutationem offerat?
Sed hæc hæcenus. reliqua quæ præterea
habeo & de quibus stomachor, seriò agam, neque
tis

lic ridens & mordaci ac Satyrico cachinno ea
percurrat & proponam, vt qui iocatur & io-
cularia (iocosa & ludicra) agit. Quanquam sa-
ne si hominum animos respexeris & quam tracta-
tionem & medicinam illi facilius admittant, quid
obstat, aut vetat, verum ac rem ipsam, quamuis
acerbissima illa sit, tamen ridentem & a-
liud quodammodo agentem dicere & auditori
furtim & tacite irrepere? perinde, vt docto-
res & praeceptores facere consuevere, blan-
di quidem, sed ad puerorum animos capiendos cal-
lidi, qui matercularum more pueris in scholam
de lucendis, ad domestica limina adhaerentibus &
virgarum seuitiem trepidantibus non absynthia &
aloen sed crustula ac placentas, & vuas passas &
id genus illectamenti arridentes dant & e manu
in manum porrigunt, quo illi lubentiores se in di-
sciplinam dent, & harum illecebrarum mellita dul-
cedine tanquam escâ aliquâ hamatâ capti non no-
lunt & refugiant, sed vltro velint & concupi-
scant discere prima illa elementa & incognitos
literarum apices. Sed tamen nos horum iam quidem
dissimiles & amoto ac seposito nonnihil eiusmodi
ludo & ridendi more, non delicias neq; ludos fa-
ciamus, sed quæramus seria, & id quod coepimus,
inquirere in seculi nostri mores & vitia, rectâ viâ
agamus & aperta fronte. Quamobrem id nunc pri-
mum dispiciamus, quod propemodum omnes ver-
sant animo atq; manu, & in quo diuerso modo &
via

via ab omnibus delinquitur, habendi nimirum & ditescendi cupiditate. Etenim qua mente & pre-textu ad ditescendum omnes contendunt? Nonne arator ille cui cum agro res est, quique terram natura & humore insito grauem & ponderosam duro & laborioso aratto vertit ac subigit? nonne item hic perfidus & periurus caupo, qui nihil nisi hospites pecunia emungere didicit? nonne miles, vitæ & spiritus sui ob exiguam stipem prolixus & venditor? nonne mercatores nautæque, qui supra hominem & humani animi conditionem audaces per omne mare & Neptuni late aestuantia regna, in Septentrionis, Orientis & Occidentis plagas velis & remis currunt vix tribus digitis à morte suspensi? nonne omnes hi aiunt, atque si acrius quaeras, iurāt penè, sese nulla alia sed hac vnica mente, spe, consilio atque instituto, tantum & tam immensum laborem libenti animo suscipere, susceptum perferre & sine fastidio ac defatigatione exantlare, vt aliquando confecta & decursa etate, quum sibi sint habeanturque iam in promptu & penu, iuuenili labore & mercimonijs parua & congesta cibaria & necessaria illa ad senectutem viatica opum & facultatum, postmodò senes quieti viuant, molliter se curent, & in tuta ocia, & quietis ac tranquillitatis portum recedant? Omnino hanc vniam ob causam, se laborare, sudare, defatigari, & rem facere

660

facere aiunt, idq̄ ita, (nam exemplo hoc utuntur
& sanè hætenus pro exemplo est) sicut par-
uula illa & molis ac virium quidem perexigua-
mus, sed indefessi studij ac permagni laboris
formica, quæ ad messorum vestigia & mergitum
cerealium flauas reliquias furtim adrepens sub ar-
dente flagrantis Sirij æstro, minuto & imbecilli
ore ad se pertrahit & humero angusto imponit,
quocumque per corporis imbecillitatem potest,
atq; apportatas iterum atq; iterum granorum sar-
cinulas aceruo suo addit, quem struit & paula-
tim apportans & aggerens exædificat, haud qui-
dem illa incauta aut imprudens, ac non ignara sed
scientissima & præfaga futuri frigoris & omnium
rerum in hyeme defectus & penurie. Atq; hæte-
nus quidem ista ita facit formica in eoq; auaro non
dissimilis est: Quæ tamen deinceps, simul atq; æ-
stas præterijt & iam defatiscente & consenescente
autumno, cum remotum à nobis & obliquis radijs
languescentem solem accipit & inuersum calum
atq; annum, anniq; illud brumale tempus gelu &
niuibus contristat, imbuit atq; obruit ninguidus
atq; humidus aquarius, nusquam apparet, non
vsquam prorepit, sed in nido & domicilio suo
quiescit & illis antè sub æstatem assiduò labore &
tolerantiâ quæsitis frugibus turò & tranquille
vititur atq; fruitur, sapiens in ocio suo quietaq; &
nullius iam amplius curæ. Quum te, quicumq; tan-
dem es, qui te cum formicæ moribus comparas, quem

ANTI

auri sacra fames & illud insatiabile habendi ca-
coethes captum, constrictum & mancipatum tenet,
neque feruidus & à solaribus radijs flagrans, &
Procyonis furentis torrente rabie exardescens æ-
stus, neque hyems, pruina & frigore & gla-
cie & niuibus rigens, neq; obiectus & oppositus
ante pedes ignis & flammaram candentium ag-
geres, neq; quo nihil intutius, mutabilius, infide-
lius, voracius, magnum illud atq; indomitum, procel-
lis & vndarum vorticibus exæstuans, nauesq; &
nautas sæpe profundis & scopulosis Syrtibus intor-
quens & crudeliter absorbens mare, neq; strictum
& ceruicibus tuis imminens, lethale ferrum, nihil,
inquam horum, te currentem, satagentem, æstuan-
tem in immensa negociorum mole, à dulci lucro,
de quo tanquam Helena aliqua depugnas, eiusq;
consectandi & adipiscendi immoderato studio di-
moueat aut dimouere possit, imò ne tantillum qui-
dem tardare & inhibere, dum te respicias & ani-
mum colligas: Nil adeo obstet tibi, ô auare, nihil
impediat, nihil remoretur, siue magnum siue par-
uum siue mediocre corporis, fame aut virtutis bo-
num, dum modò tu id agas, id unicum teneas, ad
eum unum scopum & metam peruenias ne inter
vicinos, tribules & ciues tuos alter vspiam repe-
riatur, qui quod te ditior sit, possit gloriari. At-
qui concederem tibi nonnihil, ô auare, & tolerabi-
lem tuam cupiditatem iudicaret, si quemadmo-

B

dum

dum domum extruis, ut in eâ fortunatum & vitæ
tuæ sedem colloces: ita quoq; diuitias comparares,
ut ijs aliquando, in morem & exemplum formicæ
fruereris. Iam vero tu perinde facis, ac si quis do-
mum ingenti sumptu & sexcentis operis extractam
solitariam & vacuam relinquat & labare temporis
diuturnitate sinat; qui opes partas tantam seponis,
& frigere, squalescere & corrumpi pateris, vsum
quidem illorum & gustum tibi ipsi inuides & sub-
trahis. stultè quid quæso, te iuuat aut delectat
tantas opes & tam immensam auri & argenti
facti atq; infecti pondus tanto labore, sollicitudine
atq; aestuatione colligere & accumulare, & vbi col-
legeris, non in curandam corporis tui valetudinem
& instaurandas vires, non in vitæ necessarios vsus,
non in templorum ornamenta, non in amicorum
necessaria tempora illud conferre, sed quemadmo-
dum de parca aliquis Euclio & pallens timore Plutus
timidum te & thesauro tuo metuentem furtim
aliquâ illam deponere, vbi situ & squalore con-
ficiatur, vel defossa etiam terra ad manes &
inferos vsq; præ inuidentiâ & metu, ne mica aliqua
decedat, abstrudere. quam tu ex hac tuâ sordidâ &
illiberali quadrâ delectatione, quem capis fructum?
Nisi fortasse hoc dicturus es: quod si, ô Horati,
thesaurum illum meum amabilem & vitâ meâ
mibi cariorem vel tu vtendo, mea pace, com-
minuas, vel ego mihi indies aliquid inde decerp-
sero, metuendum profectò mihi erit, ne ille de die

in

in diem decrescens, ut Luna illa celestis, tandem
ad vilem assem & minutissimum obolum, vel
plane ad nihilum redigatur, neue ubi in imâ crume-
na vnicus vel ne vnicus quidem suspirauerit num-
mus, mihi deinde egenti esuriendum sit. O auare,
vanus mehercle iste metus est: At sine isto metu
vri rebus partis pulcherrimum. Ago enim dic
mihi, ni id sit, nisi ad usum conferas, quæ tibi
parva sunt, ijsq; commodè & sobriè fruaris, ipse
ille aceruus, etsi ad sidera vsq; constructus &
eductus sit, si frigidus, immobilis & absq; usu &
motu quasi mortuus inibi iaceat & corrumpatur,
quid tandem pulchri, quid speciosum, quid ha-
ber laudabile? nonne hoc perinde est, ac si nihil
bonorum habeas? ac si egentissimo Iro egentior sis
Dabo enim tibi hoc iam & concedam, facta inter
te & me contentione, quod tu operis tuis insanis, su-
pellectile preciosa, agro & prouentibus agrorum, tum
verò innumerabili auri atque argenti copia &
multitudine, me quidem multis parasangis præ-
curras, utpote cum, vel agrorum solummo-
do & reddituum ex illis facta aestimatione, ego
fortasse centum modios frumenti quotannis perci-
piam: Tua vero illa area, in qua trituram
facis, horni frumenti, fortean fuerit ut ad cen-
tum millia modiorum triverit (ex glumis ex-
cussit) & in granarium summiserit. Immane
mehercle discrimen. at nunquid tu ob id beator es?
num inde plus veræ & genuinæ voluptatis capis?

cum ego aequè de meo sumam ad satietatem qui-
dem, atq; tu de tuo, & tuus venter, quamvis il-
lum distendere & rumpere coneris, tamen hoc no-
mine plus cibi & alimenti non quicquam capiet,
quam meus, angustus ille & paruo contentus?
quod quidem perinde inter nos videtur contingere
ut si tu inter venales istos seruos, qui venum in
forum producuntur fortè compareas & tibi contin-
gat, quod vni tantum contingere potest, ut onusto
humero impositum vehas & portes reticulum
illud siue sacculum panis qui omnibus inuicè suppe-
ditatur: hic quamvis tibi sarcinae isti ceruices sue-
rint subiiciendae, tamen cum ad prandium & cae-
nam ventum est, & atriensis fortè aut heri procura-
tor libertusue panes distribuierit, nihilo plus, sed
tantundem solummodo accipias & comedas, quam
aliquis ex grege reliquo, qui nil panis nullum re-
ticulum portarit. Vel age, si fortasse hoc simili
non delecteris, nec diuiti tibi & libero panes porta-
re libeat, dic saltem & redde rationem mihi, illius,
cui intra naturæ fines viuenti nihil placet
nisi quod naturæ consentaneum, quoq; ea contenta
est, quid referat aut intersit ad vitam bene bea-
taeq; degendam, si ex iugeribus centum non minus
quàm ex mille queat saturari, centum an mille
aret, serat & metat iugera? at, inquires, suaue
tamen est, & nescioquid arcani gaudij & titilla-
tionis secum fert, si liceat id quod petis, quoq; in-
diges ex magno aliquo acervo ita tollere, ut
subla-

sublatum non appareat. Fruere tu ista suauitate,
inepte. Dummodò nobis, mihi Horatio & Me-
cænati nostriq; similibus, qui nihil ultra necessita-
tem naturæ requirimus, liberum relinquas tan-
tundem vel ad usum vel ad satietatem haurire
& sumere ex paruo & cum tuo minimè compa-
rando cumulo: quâ animi æquitate & mediocritate
ubi nobis frui licuerit atq; eâ animum nostrum ac
fortunas & familiam beatam reddere, quid causæ
est cur tua illa tam opima & superba granaria
& capacissima horrea tibi inuideamus, aut quid
prærogatiuæ tu præ nobis tibi vendices, cur ea plus
laudes & ob copię affluentiam extollas & præse-
ras cumeris nostris, angustiis quidem sed gulæ &
culinæ nostræ sufficientibus? Æquè enim insipidè
faceres & citra rationem, vt si ad sitim sedandam
vel foci esculenta irriganda non amplius vna vr-
na (24 sextarijs) vel vno cyatho (4 cochlearibus)
liquidi & aquosi humoris tibi opus sit: & tu in
viciniâ & ad fores expositū habens fontē limpidissi-
mū, tamē cupiditate maioris alicuius æstuarij accen-
sus dicas: Mallè equidē de magno illo flumine
cuius fundus inexhaustus aliâ aquâ super aliam ir-
rigatur quam ex hoc vicino & angusto fontic-
ulo aquam exhaustam desumere, quantumuis
hinc mihi tantundem haurire liceat. Cuius hoc
esset superuaneæ nauseæ & cupiditatis? Quia vero
homines plerumq; ita nauseant & hoc ipsum agunt:
Eo, proh dolor, fit vt, quemadmodum acer ille &

īncitato alueo in præceps vergens Apulicæ fluvius
Aufidus, homines ad bibendum ripæ accumbentes,
interdum ex improviso cum arenosâ & fluctuum
alluentium morsu subrutâ & exesâ ripâ simul a-
uulsos auferit & lethalibus vndis immersos ene-
cat: ita si quos copia iusto plenior & diuitia-
rum fames dulci quadam scabie delectat & exul-
cerat, eas ista cupido, cui nimium & plenis ac tur-
gentibus velis indulgent, auferat & conijciat in sol-
licitudinum internarum, & externarum turbarum
infinitos & inevitabiles vortices, & in fluctuantes
animumq; hinc inde impellentes & à recto cursu
auertentes affectuum procellas. At contra qui
libidinem in gyrum rationis ducens seq; ipsum in
carceres temperantiæ auocans, tantulo eget &
perfruitur, tantulam desiderat & appetiscit, quan-
to opus est quantumq; sibi suppetit, is neque
sordidum questum sectatur, ut qui aquam limo
& luto turbatam, infectam & inquinatam hau-
rit, neq; ad nimis alta aspirat & se in pericula &
rerum ac fortunarum perturbationes conijcit, ut
qui ipsam fluminis alueum inhians, expirat & vi-
tam ac salutem in vndis miserè amittit. Atq;
utinam omnes ita essent animati! At verò iam ita
agitur, ita viuatur. Bona & maxima pars ho-
minum, inducta & decepta falso desiderio,
cupidine & incendio ditescendi, questum facit,
mercatur, negociatur: atq; interim suo instituto ipsa
blanditur auaritia & nihil, inquit, nihil mihi fa-
tu

eris satis est, esseue potest, progrediendum vltterius est,
nihil forijs, nihil quicquam inertiae dandum, augen-
dae opes, amplificanda res familiaris, quia nihil ve-
rius est, quam quod tanti sis atq; habearis, quan-
tum habeas & possideas in arca nummorum. Fa-
mam, virtutem, existimationem, auctoritatem, fidem
& quicquid in bonis & rebus experendis numeres,
diuitiarum magnitudine metiuntur homines, & ex
censu nascitur honos. Bella per Apollinem ratio:
sed non ex sapientum aut Apollinis cortina sed ex
vulgi fece hausta, Verum quid facias vulgo, aut
illi, qui in vulgi semitam diuertit, quiq; ad hunc
modum animo affectus est? Equidem, dum tu rectum
clauum teneas neq; te percelli & euerti patiaris, si-
nas illum equo animo, imò iubeas libenter & sua
voluntate atq; arbitrio perire & miserum esse,
quatenus id facit, molitur, agit atq; studet vni-
cum, ut miser sit. Velut literis mandatum est & ex
veteri memoriâ repetitum memoratur, quod cui-
dam Athenis sordidus iuxta ac dives, in incre-
dibili argenti atq; auri abundantia famelicus &
strigosus ac præ fame tantum non pallidus ac præ-
mortuus, fuerit Euclio, qui cum ob sordes omnium
vocibus & dicterijs vapularet & in publicum cum
trita lacernâ & penè discalceatus progredien, igno-
miniosis sibilis & cachinnis exciperetur, has po-
puli voces, sibila & cachinnos, magno nimirum &
infractio animo ac vultu solitus sit contrinere atq;
interim sic se solari: populus quidam Atheniensis.

atq; illa barbatula & rerum suarum nondum ra-
tionem & modum tenens iuuentus me exhibilat &
è cœtu suo exigit, non nimis nitidè & mundè vesti-
tum, fateor: at quid ego moror illos delicatulum
rumusculos & euanescentia verba, qui interim
nummos in arca meâ habeo longè plures, quàm
illi insipidi, & simul ac illos, quod mihi quidè quo-
tidie licet atq; lubet facere, quoties è foro domum
ventito, oculis hallucinantibus contemplor &
sollicitis articulis computo, tum verò mihi ipse
domi plaudo, tum me præ populo beatum præ-
dico, tum ignominie & sibilorum illorum penitus
me iuuat obliuisci. Quid tibi, ô auare, Athenien-
sis ille videtur, magnificusne fuit fori & populi &
conuictorum contemptor? Audi etiam & aspice ad-
huc unum ab illo non multùm abluentem. Etenim
Tantalus ille tibi notus est, qui apud inferos per-
petuâ fame & siti damnatus, etsi sitiens mentum
inclinat & flumina in propinquo auidè captat,
tamen à labris subterfugientia nunquam miser
assequitur. Quid rides, sordide, quid venides?
equidem fabula ista de siti Tantaleâ & de illo per-
parco Atheniensi mutato saltem nomine de te
ipso narratur. Tu ille ipse Tantalus es, tu ita in me-
diâ opum abundantia eges & esuris, ut ille inter a-
guas sitit, neq; ouum tã ouo, neq; lac tam lacti simile
est, atq; tu illi es. Etenim tu præ stupenda tenacitate
non iã tantum tuis illis vndiq; ex quocunq; siue ho-
nesti siue inhonesti lucri genere congestis & consar-
cinatis

cinatis saccis ac bulgis nummarijs inhians iruigi-
las, sed totus illis fascinat à quasi & constricta mēte
indormis: tu consuetudinis tanquā alterius natu-
re & dominæ alicuius Tyrannide iam non per-
suaderis, sed cogeris abstinere & parcere tuis
opibus tanquam sacris, quas tangere & in bonos
& legitimos vsus collocare religio est: tibi ex diui-
tiarum tuarum beatitudine, quam tu vocas &
& quā tibi places & applaudis, nihil reliquum est,
nihil licet, nisi aspectu illarū & leui ac euanido ocu-
lorum pastu frui aut gaudere tanquā pietis & in
templo ad contēplandum suspensis & à profanarum
manuū contactu immunib. Diuorum tabellis, quas
prætereuntes aspiciamus neq; quicquā præterea uti-
litatis ex illis percipimus. Vsq; adeone ergo demen-
tie peruenisti, adeone rerum ignarus & in foro vi-
tæ mortalis insans & peregrinus es, ô fatue & in-
sulse, nescis & iam tandem docendus es, quo &
ad quem finem valeat & hominibus datus sit
nummus? Quem vsum rebus humanis ille præ-
beat? Si nescis, en ego te, si pateris, instruam &
docebo. In culinam te conser, è culinā in forum
expatiare, videsne & animaduertis, quid illic qui-
dem desit, quoq; indigeas, hic autem quid tibi offe-
ratur, quoq; indigentiae tuæ possis mederi? panis,
olus, bubula, vinum & vel vini sextarius si ma-
dere non vis, nummo illo, quem abscondis & in ter-
ram desodis, tibi ematur, vin plura? equidem
sexcenta sunt quibus negatis sibi & subtractis

maximopere doleat & angatur vel certe minus
belle habeat natura humana, qualia sunt balnea,
vestimenta, munda & casta vxor, & huiusmodi
innumera, hæc superioribus adde, hæc nummo tibi
compara. sic ille vsu enitescet, sic longè fructuosius
collocabitur, quam si arcæ inclusum tanquam capti-
uum teneas & tu interim fame contabescas. an
quæso tam stupidus & excors es? An ad opum tua-
rum aceruum longo cum fuste vigilare tibi volu-
ptas est, attonitum & tantum non exanimem
perpetuo metu, ne quid pereat? malos & ex ali-
enis bonis viuentes fures noctes & dies formi-
dare? perhorrescere incendia & suppositos ignes?
seruos expauescere, ne te & thesaurum tuum
compilent cum præda aufugientes? obsecro, an
hoc te aut aliquid horum iuuat & melli tibi est?
Ego, per Deum immortalem, tantum abest, ut i-
sta mihi concupiscam, ut horum, si ita tuo palato
sapiunt & hoc titulo te iudice donanda sunt, bono-
rum, vel potius, me arbitro, malorum semper
optarim esse pauperimus & egentissimus:
imò pauperimus & in pannis carice & nasturtio
vivere malim, quam in summo diuitiarum ac de-
liciarum gradu perpetuæ formidini & trepidationi
esse expositus. At iam porrò hoc etiam te per-
contari libet, qui ad rem adeo attentus es, sicubi in
mordum incideris, si corpus nimio & intempesti-
uo frigore tentatum nonnihil condoluit, aut a-
lius quicumq; casus vel ægrotudo male habentem
&

Et suspirantem te lecto affixit, ut iam tibi admi-
nistrare teq; curare nequeas, quaso habesne in isto
tuo casu, ad quem omni horæ momento, quippe
mortalium è numero, expositus es, fidelem aliquem
& benevolentem te & fide amicum, qui tui solli-
citudine afficiatur, qui dolenti & gementi tibi su-
spira reddat mutua? & lachrymanti allachrymetur?
qui ad lectum te consolaturus & refecturus assi-
deat? fomenta mollia & lenimenta parer, & te-
pida ac plumata puluinaria occipiti & lateri sub-
sternat? qui tuis verbis, sua fide, medicum rogee
anxiè & obrestetur, operã & pecuniam interponat,
vt ille te ex morbo & lecto suscitet, reuiuiscere te
faciat, & natis tuis carisq; propinquis te reddat
& restituat incolumem? Sed quid ego de amico ta-
li & tam probæ monetæ te perconctor? Ibi tu de-
sertus, expes, in diuitijs amicorum inops, gemens &
derelictus iaces & solus macie & aegritudine conta-
bescis: Non ipsa vxor, qua meritò nulla tibi debe-
bat esse benevolentior & obstrictior, quæ te vitæ suæ
merito præponeret, si ita tu de illa esses meritis, sal-
uū te vult; nō filius ex corpore & semine tuo pro-
gnatus viuum te optat: Omnes te vicini oderunt
& inimicitiã plus quàm Vatiniã persequuntur: o-
mnes noti, & qui vel nomen tuū inaudierunt, te ad-
uersantur & fugiunt: ipsi pueri atq; puellæ sunt ti-
bi infestæ & ad nominis tui mentionē despuunt propter
sordes, auaritiã & inhumanitatē tuã. Et tu miraris
si hoc tibi accidat, si nemo eã præstet benevolentiam

cuno

amorem, quem tu ipse non modò non merearis
vllâ beneficentiâ, sed etiam vltro penitus excludas
& improbo tui odio procul à te abigas, quum tu
adeo vili argento addictus sis, vt eius retinendi stu-
dio omnia & omnes, cognatos, vicinos, tribules
vxorem, fratres, liberos, teq; ipsum adeo & famam
ac vitalem illum spiritum postponas hominum
infelicissime! Ac si tu idem ita conaris venari & e-
uocare hominum benevolentiam, quod cognatos
quos tibi ipsa natura dat & conciliat, velis re-
tinere & seruare amicos, nullo labore tuo,
nullâ operâ sumpta, nullâ munificentâ, sed illorum
quidem amorem expetas, de tuo autem decerpere ne
tantillum quidem velis, hoc modo & hac ratione ini-
tâ & capto tecum consilio, frustra equidem sis, meo
iudicio & præfagio, & infelix atq; spei tuæ impos-
operam perdas actumq; omnino agas: ita prope-
modum, vt si quis a sellum, nunquam campo aut
habenis assuetum, iam illico in campo lustrandum
producat & frenis desubito parentem vel parere
saltem atq; in artificiosos gyros circumagi assuescen-
tem doceat pernuciter currere vel tolutim crura
& vngularum iactus in compositos numeros glome-
rare. In quo quemadmodum quis frustrâ sudave-
rit: ita neq; amicos tu sine sumptâ operâ inueneris,
aut inuentos, si siccus & sordidus fueris, facile con-
seruaris. Vt enim asinus contra naturam currere:
ita pleriq; homines gratis amare & benè facere in-
dociles sunt. Denique, quò hæc omnia spectant,
quodq;

quodq; inprimis te admonitum volo, respicias te
quaeso, sic aliquando finis, sit modus quaerendi &
coaceruandi, & quo plus opum atq; facultatum
collegeris atq; iam in promptu habeas, eò minus
illam omnibus inuisam & tibi haecenus formida-
tam, quam iam euasisti & à cuius periculo securus
degere potes, metuas pauperiem, & incipias
tandem tibi ipsi parcere & minuere ac finire la-
borem, quo te haecenus diu & noctu exercuisti &
ad pallorem ac maciem vsq; macerasti, postquam
iam tibi gaudere & frui & contentum esse licet par-
to illo quod vnicum maxime auebas quoq; sollici-
te suspirabas, quoq; pedibus manibusq; contendebas.
Nec, si me audire vis, in eandem insaniam & er-
rorem ac infortunium recidas, ex quo te eximere &
eripere iam dudum allaboro nec facias & patiaris
idem, quod Vmidius quidam (non longa neq;
tediosa est fabula ad narrandum) tam diues ut
non numeraret aut dependeret, sed integris medi-
mnis metiretur nummos: contra ita sordidus
& supra omnem illiberalitatis modum sui tenax ut
se non vnquam vel in ipsis Saturnalibus, aut Di-
uorum supplicationibus aut Imperatorum trium-
phis, melius aut ornatus niti diusue vestiret seruo
suo: quippe qui metuebat & ad usq; supremum
vitae tempus nunquam securus viuebat nunquam
vacuus hoc insano & fatuo timore, ne fortè ante
supremum illum diem ita ad incitas redigeretur, ut
se fames & vitus penuria opprimeret & ex-
tingueret.

vingunt. At vide qualis hunc tandem exitus ex-
ceperit. Nam fame equidem, in quo timore versa-
batur, mortuus non est, sed quod minimè metuebat,
quodq; facile cauere potuisset nummi beneficio, ma-
ctavit atq; trucidavit eum & medium immani
securi quasi frustulatum lanij in morem diuisit ac
dissecuit non aliena sed libera, concubina propria,
fortissima equidem in crudeli & sanguinolento fa-
cinore, ita vt illam Tyndaridarum à stirpe & Cly-
temnestræ, quæ Agamemnonem maritum interfecit,
amulam possis æstimare, fortè eo, quod senectutem
& sordes eius oderat, vel opes inhiabat. Hic tu for-
tè inquis, Quid mihi igitur suades, quo tandem
euadit tuum consilium: sordidum & parcum me esse
non vis. vis igitur, vt viuã atq; ita me curem vt Mæ-
nius aut sic ut L. cassius Nomentanus, bonorum
suorum a seò profusus, ut septuagies sestertiũ libidi-
ni & gulæ impenderet? minimè verò, inquam, tu e-
nim vltro pergis pugnancia & è regione opposita
vitia, sordes & prodigalitem frontib. aduersis,
(extremis oppositis) secum componere & com-
parare. Ego verò, quum veto te fieri auarum,
cum te à sordibus auoco & abstraho, cum te corpori
tuo & amicis aliquid largiri & impertire iubeo: non
continuo iubeo te fieri vappam, perditum nimi-
rum & prodigum sui Nepotè ac insipidum, luxurio-
sum, nequam & improbum aliquem nebulis & um-
bris leuiorem nebulonem. Est enim, quem admo-
dum inter Tanaim Mæcenatis libertum, spadonem,

& socerum Viselli berniosum: ita inter avaritiam
& prodigum quiddam intermedium, inter illos
quidem sanus, inter hos autem liberalis. Est, inquam
in rebus omnibus, quas agendas suscipimus aut quas
concupitas persequimur, modus & mediocritas qua-
dam ratione temperata: Sunt denique certi re-
rum & actionum cunctarum fines, definitæq; metæ
& præscripti numeri & limites, ultra quos si e-
uageris aut substes citra, nequit locum habere &
consistere rectum & honestum illud, quod virtu-
tem nuncupamus. Sed missis his, redeo iam illuc &
me refero, unde abij, & à quo cœperam, in eo con-
cludo. Nemone mortalium se & conditionem
suam ita prober, ut id facit (quoad cupiditatem,
quæ semper constans atq; eadem est) auarus, qui à
suo instituto & auaritiâ ne monitus, quidem unquam
deflectit? nemone reperiri potest, quin potius in alios
ac diuersa studia sequentes coniiciat oculos
eosq; laudet, quàm se? nemo, quin inuidiâ accen-
datur, & aspectu tabescat, quod fortasse aliena
vicini capella pinguior & habitior paulò sit, &
vber lacte distentius gerat, quàm propria? neq;
quisquam se comparet & in contentionem venire
sinat cum maiore illo cœtu & numerosâ ac prole-
taria turba pauperiorum, qui infra se sunt & mi-
nus habent, sed identidē oculos supra se ad opimos &
locupletes istos retorqueat, atq; iam hunc iam, hoc
præterito illum quoq; diuitijs superare & antea
&

Et præ illo in hoc stadio ditescendi eminere impro-
bo & Herculeo studio & quasi Achilleo cursu con-
tendat atq; allaboret? Atqui ita contingit, ut ille
quamvis æstuans, festinans & se ipsum incitans &
irremissis cupiditatis calcariibus vgens & instigans,
nunquam tamen ad illam sibi propositam metam
& supremum diuitiarum apicem, quo nemo altius
queat ascendere perueniat aut enitatur: sed festi-
nanti & iam hunc iam illum prætereunti semper
in omni huius cursus gradu obstat & infra se relin-
quit & supereminet illi aliquis locupletior &
obesior ac superior. Estq; hæc profectò consi-
milis inter auaros & diuites illos contentio & vin-
cendi studium atq; insana æmulatio: ut inter illos
qui in ludis Olympicis curuli certamine de corona
decernunt, Vt enim ibi, cum emissos certantium
currus ex ipsis carceribus & initio ac limine
primo stadij, vngula & impetus equestris in pro-
num rapit atq; aufert venti in morem, auriga
victoriæ cupidus equis aliis aurigæ suos equos
adhuc & sequentis & posteriores vincuntibus &
ante euntibus instat & à tergo imminet affla-
tu suorum iugalium & iam equare illos iam
anteuenire nititur, nec minus interim lætatur
quod aliquò progressus nec planè inter ultimos sit, re-
spiciens identidem & temnens quodammodo ac
præ se aspernans illum, qui anteibat se modo, iam
vero à se victum & præteritum & modò non inter
extremos euntem & de victoriâ meritò despe-
rantem

vantem: ita auarus hos quidem post se relictos de-
spicit: illos vero, qui in re lautiore sunt, anteueni-
re pergit & annititur & semper tamen aliquem
indignatur se esse anteriorem & ditiozem.

Inde adeo fit, o dilectissime Mecenas, vt per-
raro & rarius equidem, quam album coruum, re-
perire & inuestigare queamus talem aliquem,
qui exacto annorum tempore & vitæ suæ sorte
usq; quos nactus est & gessit honorib. & muneribus
contentus, dicat & profiteatur se beatum &
fortunatum vixisse, & qui ita ex hac vitâ cedat
atq; abeat tandem, vti satur aliquis & bene ha-
bitus & acceptus conuiuia è moderato conuiuio.
Sed iam satis est querelarum & reprehensionum,
tempus est vt desinam tinnire de auaris: Profecto,
ne putes me plagium commisisse & Lippi Cri-
spini futilis & loquacissimi illius Nugonis, scrinia
& pluteos compilasse atq; illi aliquid suffuratum
esse, idq; pro meo venditare & tibi obtrudere,
iam ne verbum quidem & minimum
apicem, hisce que dixi addam
amplius.



C

In

XXXXXXXXXX

AD IMPLENDVM SPA-

*cium vacuarum pagellarum, pro
Horatij Satyris, in Satyris iratos, Martia-
lis more ficti*

LVSVS EPIGRAMMATICA

Ecquis, ecquis adest mihi patronus?
In forū trahor ecce: fortè nigrum
Parat mî capitalis vna punctum.
Quî putas meruisse? nec Deorum
Volens numina peierando læsi,
Nec famam tetigi calumniator
Amici: neq; dexterâ tagaci
Vxoris nisi propriæ papillas.
Occisi neq; me cruor parentis
Terret supplicio cruorue fratris.
Quid ergò? ah grauius scelus patratum
Accusor, vitiosa sæcla versu (est.
Ausus radere quod nimis severo.
Quid vis actor inepte? quid fatigas
Teq; meq; forumq; iudicemq;?
Huc sinas veniant cohorte magnâ
Ipsa crimina, Horatiumq; cogant
In ius ambulet. anné fors patronum

Te

Te fecere suum? miser quiesce.
Iam non crimina vapulant; sed ipse
Mores prostituis tuos miselle.
Sic sic indicio suo perire
Sorex, murmure sic catus rapinam
Fertur prodere, sic suum dolorem
Ulcerosus, ohe miser quiesce.
Ioci sat fuit in foro & cachinni
De te; suadeo, iam miser quiesce.

II.

Liuoremq; calumniamq; binas
Dite patre satas Proserpinaq;
Matre, Cerberei canis sorores
Versu vellico cum seueriore;
Pestem siue aliam nefasq; mundi:
Hei in me geminae ruunt sorores
Cum liuore calumnia. ut fremunt
(feroces!

Iam vos o Epigrammata, o amarae
Autori Satyrae diu valete.
Sed vos o geminae mihi sorores
Quaeso parcite: dicta iam recantat,
Iam vos laudibus efferet trecentis
Ultra sidereos poli rotatus
Flaccus: iam bona verba deinde dicet.
At ti-

At tibi malè sit proterue vindex
Liuorisq; calumniæq; non sic
Cognôram in cute te prius! peristi.
Iam tu clarus eris, ferere magnus
Liuorisq; calumniæq; tutor.
Hem tantumne tacere posse lucrū est?

III.

Si quid auaritiâ mordaci scalpo flagello,
Quisquis es, annè mihi dicis auare diem?
Si Veientanum versu Caluumq; laceffo,
Tu similis Caluo me faciesné reum?
Si quid adulterij, scortillorumq; furores:
Et vitij quicquid perdita secla ferunt.
Non ego te dixi; vitiorum nomina dixi
Tu, siue ille reus; mens sua quenq; docet.
Sed quod agis causam vitiorum, quod furis irâ,
Crede mihi, non me, te facis ipse reum.
Vis quem te dicam, vel quem tua facta loquantur?
Patronus vitij, nã vitiosus homo es.



ULB Halle
002 629 992

3



(F)

SB

OL

AB 15 44 07

VD 77

nam si ex lege hereditas: nam
ex remissione. Abrahæ autem p[er] rem
onem donavit d[omi]n[us]. Quid igitur leg
ter transgressionem posita est: don
nuer sem[ini] cui remissat
p[er] anglos in manu mediatoris. m
to autem unius n[on] est d[omi]n[us] aut[em] un
est. Lex ergo ad usus p[ro]fusa de
absit. Si enim data e[ss]et lex que p[ro]
vivificare: vere ex lege e[ss]et iustitia
conclusit scriptura omnia sub peccato
ut p[ro]missio ex fide ih[esu] xp[isti] daret
dentibus. *Ex. Respice domine*


*in c[ele]stibus. **Ex.** Respice domine*

Aevia.

*in c[ele]stibus. **Ex.** Respice domine*

ultimus domino





SATYRÆ PRIMÆ
HORATIANÆ

Quæ est de
Vitijs hominum usita-
tissimis

μεμψιμοιείας καὶ πλεονεξίας

PARAPHRASIS ORA-
toria insertis singulis Poe-
tae verbis

MARTINI BRASCHII.

Vtilis & iucunda lectu.



ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.

Anno M. D. IIC.

